Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Itum catenis ante conspectum iudicis protrahunt.
IGITUR omnibus interfectis qui SEQUITUR.
israhelem ad deserta tendentem fuerant persecuti. et in eo
dem loco gladio corruentibus. reversi filii israhel percusse
runt civitatem. Erant autem qui in eo die ceciderant a vi
ro usque ad mulierem .xii. milia hominum. omnes urbis
hai. Iosue vero non contraxit manum quam in sublime por
rexerat tenens clypeum. donec interficerentur omnes ha
bitatores hai. Iumenta autem et praedam civitatis diviserunt
sibi filii israhel. sicut praeceperat dominus iosue. Qui succen
dit urbem et fecit eam tumulum sempiternum. regem
quoque eius suspendit in patibulo usque ad vesperam.
et solis occasum. praecepitque et deposuerunt cadaver
eius de cruce. proieceruntque in ipso introitu civitatis.
congregato super eum magno acervo lapidum. qui perma
net usque in presentem diem.

OMNES interficiunt. qui israhelem ad deserta
tendentem persecuntur. cum vel in praesenti gladio
spiritus quod est verbum dei. malignos hostes electi configunt.
vel in extremo iudicio. eos eterni iudicis iacula
confodiunt. Qui israhelem ad deserta tendentem persecun
tur. dum omnes continentiae propositum tenentes insecuntur.
In eodem loco gladio corruunt. quia per christi passionem.
vel in praesenti verbo dei. vel in futuro sententia iudi
cis intereunt. filii israhel reversi civitatem percutiunt.
dum fideles ad cor suum per penitentiam conversi. mundi
vel carnis delectationem in se addicunt. filii israhel re
versi civitatem percutiunt. dum omnes electi in die iu
dicii ad patriam regressi. omnem habitationem huius
mundi eterne maledictionis sententia feriunt.
Sunt qui in eo die ceciderunt. qui in die iudicii eterne
maledictioni succumbunt. A viro usque ad muli
erem. a deceptore adultero. usque ad prostitutam deceptorum
multitudinem. Duodecim milia hominum. qui ex quattuor
formati elementis. spiritu anima. et corpore condemp
nantur. quia duodenarius numerus. ex tribus et quatu
or multiplicatur. Omnes habitatores urbis hai. omnes
amatores huius mundi. Iosue non contrahit manum tenens
clypeum. quia filius dei suis fidelibus non subtrahit divine
sue protectionis auxilium. per sancte crucis mysterium. Quam in
sublime porrexerat. cum suas in cruce manus expande
rat. Donec omnes habitatores hai interficiantur. donec
vel in praesenti in suis fidelibus vicia et peccata extinguan
tur. vel in futuro iudicio maligni spiritus et omnes amato
res huius mundi perimantur. Iumenta et praedam civitatis
filii israhel sibi dividunt. cum fideles christi vel insipientes vel
sapientes. quos vel a servitute diaboli vel ab amore
mundi sua institutione subtrahunt. vel in praesenti in
ornamentum domus dei distribuunt. vel in futuro eterna
sibi premia de eis conferunt. De qua praeda dicit psalmista.
Homines et iumenta salvabis domine. Sicut dominus iosue
praeceperat. sic deus pater unigenito suo incarnationis
sue mysterium. ad salutem fidelium ab eterno preordinave
rat. Qui urbem succendit. quia filius dei vel in praesenti per gratiam
sancti spiritus in suis fidelibus exurit. vel in futuro mundum cum
suis amatoribus iudicii igne consumit. Facit eam tumulum
sempiternum. ex eternis suppliciis reproborum. faciens eter
num suis electis monimentum. ut misericordias domini decan
tent in eternum. Regem quoque eius suspendit in patibulo.
quia filius dei principem mundi in eo quo ipse suspensus est
crucis sue triumphat ligno. transfigens eum sue divi
nitatis hamo. Usque ad vesperam et solis occasum. usque ad
huius seculi terminum. Precipit et cadaver eius de cruce depo
nunt. cum sancti angeli iussu dei in futuro iudicio ipsum ser
pentem antiquum de inferno productum. et catenis vinctum
ante tribunal iudicis statuunt. Quem proiciunt in ipso
introitu civitatis. dum videntibus cunctis electis. precipitant
eum in abyssum eterni ignis. Congregant super eum acervum
magnum lapidum. alligantes ei omne corpus reproborum. quos il
lud ferit terribile iudicis tonitruum. Discedite a me ma
ledicti in ignem eternum. qui paratus est diabolo et angelis eius.
Qui acervus permanet usque in eternitatis diem. quem semper pre
oculis oportet habere presentem. iuxta illam salvatoris at
testationem. Ibunt hi in supplicium eternum. iusti autem in